

Sacerdos paratus cum ingreditur ad altare, facta illi debita reverentia, signat se signo crucis a fronte ad pectus, et clara voce dicit nisi peculiari rubrica aliter statuatur:

In nomine Patris, ⁊ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. **Deinde, iunctis manibus ante pectus, incipit antiphonam:** Introibo ad altare Dei. **Ministri respondent:** Ad Deum qui lætificat iuventutem meam. **Postea altenatim cum ministris dicit sequentem - Ps. 42, 1-5**

Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me. **M.** Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. **M.** Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat iuventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? **M.** Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

S. GLORIA PATRI, et Filio, et Spiritui Sancto. **M.** Sicut erat in principio et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

✠ Introibo ad altare Dei. ✠ Ad Deum qui lætificat iuventutem meam.

✠ Adiutorium nostrum ⁊ in nomine Domini. ✠ Qui fecit cælum et terram. **Deinde, sacerdos, iunctis manibus profunde inclinatus facit confessionem.**

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et VOBIS fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virgi-

nem, beatum Michaëlem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et VOS fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam æternam. **Sacerdos dicit:** Amen et erigit se. **Deinde ministri repetunt confessionem: et ubi a sacerdote dicebatur vobis, fratres, et vos, fratres, a ministris dicitur tibi, pater, et te, pater.**

M. Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaëli archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis ET TIBI, PATER, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. **Postea sacerdos, iunctis manibus, facit absolutionem, dicens:**

Amisereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam æternam. ✠ Amen.

Indulgentiam, ⁊ absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ✠ Amen.

✠ Deus, tu conversus vivificabis nos.

✠ Et plebs tua laetabitur in te.

✠ Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

✠ Et salutare tuum da nobis.

✠ Domine, exaudi orationem meam.

✠ Et clamor meus ad te veniat.

✠ Dominus vobiscum.

✠ Et cum spiritu tuo.

Et extendens, ac iungens manus, clara voce dicit: Oremus, et ascendens ad altare, dicit secreto: Aufer a nobis.